



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 66. Colloquium Piquinacense inter ambos Reges

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

adornatæ Auctores Galliarum Regi non modo indicare, sed etiam evidentia perfidiae argumenta producere velit.

Sæcul. XV.

A.C. 1475.

§. LXV.

Margarita Andegavensis libertati restituta, & in Franciam reversa.

Inter plurimas hujus fœderis prærogativas haud infima erat recuperata libertas Margaritæ Andegavensis, quæ Henrici IV. vidua ab Anglis libere dimissa in Gallias redeundi, ibique morandi copiam obtinuit, ubi etiam sexto vel septimo post adventum anno rebus humanis erepta est. Priusquam vero Anglia excederet, Eduardo jubente, omnibus juribus, quæ in Angliæ regnum sive demortui Mariti, sive dotis suæ, ac quocunque alio nomine habere prætenderat, nuntium mittere compulsæ est.

§. LXVI.

Colloquium Piquiniacense inter ambos Reges.

Fœdere utrinque firmato Angliæ ac Galliarum Reges die vigesima Augusti prope Ambianum ad pontem Piquiniacum, solita mutuæ securitatis cautione præmissa, congressi sunt, ac privato collo-

Sæcul. XV.
A. C. 1475.

quo inter se habito pacis articulos iurando confirmarunt: cum vero Ludovicus Britanniae Ducis potentiam, ejusque vires adeo accisas esse vellet, ut sibi nullum amplius ab eo damnum inferri posset, hoc animi sui propositum Eduardo aperuit, qui tamen Regi respondit, Ducem sibi longo amicitiae foedere junctum nunquam datam fidem fefellisse, proin se paratum esse, omni tempore atque adversus quemcunque, qui Britannum aggrediretur, arma capeffere, huncque in finem semetipsum copias suas in auxilium educturum. Ludovicus Regis Angllæ offensionem verebatur, unde confestim sermone ad alia converso sciscitabatur, quid agendum censeret, si Burgundiae Dux foederi adscribi recusaret? mox Eduardus nil hæsitans reposuit, se Duci iterum iterumque denunciaturum, quod pax omnino acceptanda esset, re-nuente vero significaturum, quod impo-sterum sibi in suis adversus Franciam controversiis nullam de Eduardo opem sponderet. Colloquio inter utrumque Regem longius producto, ambo demum de deliciis, urbisque Parisiensis amcenitatibus sermonem instituebant, ubi Eduardus Angllæ Rex civitatis conspectu oculos suos pascendi haud obscurum monstrabat desiderium, ejus quoque amici cupiditatem augebant; imo Hawardus Galliarum

Galliarum Regi Eduardi vota exponebat, Sæcul. XV.
 cui tamen Gallus respondit, Regis An- A.C. 1475.
 gli præsentiam sibi gaudio, & Parisiensi-
 bus summo honori futuram : Cum vero
 Ludovicus vereretur, ne Eduardus Pari-
 siensis urbis illecebris captus, diuturnio-
 rem ibidem moram traheret, ac forte
 sæpius illuc veniret, (*) Eduardo signi-
 ficari fecit, se proxime exercitum suum
 ad Campanniæ fines movere compulsura
 esse, ut adversus Burgundiæ Ducis in-
 sultus Lotharingiæ Ducatum tueretur.
 Unde Eduardus curiositate sua minime
 expleta Angliam conscensis navibus re-
 petere decrevit.

§. LXVII.

*Burgundi indignatio ob pacem inter
 utrumque Regem.*

Burgundiæ Dux, qui tum Lucemburgi
 agebat, postquam pacem inter utrum-
 que Regem firmatam esse intelligebat,
 omni cunctatione remota quindecim
 duntaxat Nobilibus stipatus Eduardum
 convenit, ac foederis cum Galliarum Re-
 ge initi veritatem edoceri postulat. E-
 duardus inducias a se cum Ludovico XI.
 sancitas

(*) Vide Hist. Eccl. Fleur. contin. Lib. CX.
 §. CXLII. pag. 412.